

Fratres:

- ⁵ **I**ngrédiens mundum Christus dicit:
«Hóstiam et oblatiónem noluísti,
corpus autem aptásti mihi;
⁶ holocaustómata et sacrificia pro peccáto
non tibi placuérunt.
⁷ Tunc dixi:
Ecce vénio,
in capítulo libri scriptum est de me,
ut fáciam, Deus, voluntátem tuam».
- ⁸ Supérius dicens,
«Hóstias et oblatiónes et holocaustómata
et sacrificia pro peccáto noluísti,
nec placuérunt tibi»,
quæ secúndum legem offerúntur,
⁹ tunc dixit:
«Ecce vénio, ut fáciam voluntátem tuam».
Aufert primum, ut secúndum státuat;
¹⁰ in qua voluntáte sanctificáti sumus
per oblatiónem córporis Christi Iesu in semel.

Verbum Dómini.